Tomus XIII
Miscellaneorum Philologicorum.

ΣΤΝ ΘΕΩ.

# POSITIONES PHILOLOGICÆ

# Græcum Novi Testamenti contextum concernentes.

*Publicæ disquisitioni exhibitæ*

à

M. JOHANNE ERICO OSTERMANNO GRÆCAR. LITERAR. PROF. PUBL.

*Respondente*

GEORGIO SYLM
Hamburgensi.

*DISPUTATIO TERTIA.*

Habebitur
*Ad d.* 6. Februarÿ.
In Auditorio majori, horis matutinis.

---

*WITTENBERGÆ*
Excudebat MICHAEL Wendt.
Anno cIↃ IↃ CXLIX.

# POSITIONUM PHILOLOGICARUM,

# GRÆCUM NOVI INSTRUMENTI CONCERNENTIUM CONTEXTUM,

## *PRIMA*

## *DISPUTATIONIS TERTIÆ.*

EST qvidem Participiorum insignis usus apud Græcos idemq; varius in Novi Instrumenti literis: cæterùm, cùm stabiliendæ observationi suæ, qvâ Præsens Participium pro Verbo ex Hebræorum consvetudine positum ait Theodorus Beza, loca illa producit Annotationum suarum volumine, Rom. V. 11. Act. XXVI. 20. Rom. III. 24. 2. Cor. X. 5. & Cap. VII. 5. itemqve cap. V. 12. & cap. XI. 13. I. Thessal. II. 11. Act. XXIV. 5. Rom. IX. 28. & 1. Cor. III. 19; nisi ipse egregiè fallor, fallitur magnoperè doctissimus Interpres. Neqve enim satis est, exactè & ad ungvem callere Ebræi idiomatis indolem, qvam laudem & facilè & libenter ac merito etiam suo tribuimus prolixè eidem clarissimo Viro: sed id præterea etiam est opus, ne, si qva in recentis Voluminis scriptura occurrunt minus expedita in speciem & plana, Orienti statim imputentur. Est enim reverâ ignorantia Græcismi, qvod vir doctus ajebat, fons ac origo & mater infelix qvædam Ebraismorum. Qvod ut penitus appareat, excutiemus ordine in medium proposita loca, videbimusque, Græcum an Ebræum Sapiant sermonem.

Primò itaqve ad comma undecimum Capitis V. Rom. ait, non satis rectè τὸ καυχώμενοι vertisse Erasmum per *gloriantes*, qvoniam sententia hoc pacto prorsus hiaret. Positum autem per Ebraismum esse καυχώμενοι pro καυχώμεθα, qvomodo Syrus qvoqve verterit Interpres. Qvare, cùm in uno codice καυχώμεθα se testetur reperisse scriptum (qvam lectionem etiam ex Græco qvodam exemplo affert Erasmus, id qvod sibi Monasterium Prædicatorum apud Basileam exhibuerit,) continuò mutatam Germanam lectionem suspicatur ab ijs, qvi hunc Ebraismum ignorarint. Nimirum id vult Beza, καυχώμενοι scriptum esse pro καυχώμενοί ἐσμεν, *gloriantes sumus*, id est, *gloriamur*. Quâ ratione Eccles. I. 7. legitur, *Omnia flumina* הולכים *euntia* sc. sunt, hoc est, *eunt in mare*: & cap. IV. 5. *Stultus* חובק *complicans manus suas* ואוכל *& consumens carnem suam*, h e *complicans, consumens est*, id est, *complicat, consumit*. Verum enim verò, qvod fieri consvevit, ut qvæ domi nata parum habeamus pensi, externis semper inhiantes, id Bezæ etiam venit usu. Qvem cùm fugere Græci sermonis ingenium non poterat, tamen inveteratum alieni ac peregrini studium ita in trāsversum rapuit, ut qvæ ante pedes essent, agnoscere pro talibus haud vellet. Simplex certè & undiqvaqve concinna loci structura hæc est, κατηλλαγέντες οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ καυχώμενοι ἐν τῷ Θεῷ σωθησόμεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ: *reconciliati haud tantùm; sed gloriantes nunc etiam in Deo* (vel, tales, qvibus gloriari jam licet in Deo) *per Dominum nostrum Jesum Christum, per qvem nunc reconciliationem adepti sumus, servabimur per vitam ipsius*. Qvibus qvid magis Græcum esse possit, qvi meus est stupor, eqvidem non video. Ad qvid ergò proderat,

Ebræa

Ebræa aſciſcere,& purum Græcum ſermonem alieno idiomate inficere voluiſſe? Sed ita ſolet Theodorus Beza. Cujus cætera ejusdem farinæ notata recenſebimus.

III.

In Apoſtolorum actis idem obſervavit ad capitis XXVI. comma viceſimum, ἀπαγγέλλων pro ἀπήγγελλον vel καταγγέλλον poſitum eſſe, *annuncians* pro *annunciavi*. Verba ſacri contextus ita habent: ἀλλὰ τοῖς ἐν Δαμάσκῳ πρῶτον καὶ Ἱεροσολύμοις, εἰς πᾶσάν τε τὴν χώραν τῆς Ἰουδαίας, καὶ τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγέλλων μετανοεῖν καὶ ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν Θεόν & qvæ ſequuntur: *ſed ijs qvi ſunt Damaſci primùm & Jeroſolymis, & per omnem regionem Judææ, deinde & gentibus annunciabam ut agerent pœnitentiam & converterent ſe ad Deum.* Ubi *in nonnullis codicibus*, inquit Beza, *ſcriptum invenimus* ἀπήγγελλον. *Sed puto hanc germanam eſſe lectionem ac iterum participium pro Verbo poſitum eſſe Hebræorum more.* Sed pace Interpretis, cur non etiam Græcorum, ſi vel maximè aliud nihil eſſet, qvod excuſaret? Nam & ita profanos de Græcis loqvutos, ſui, ut videtur, oblitus ipſe Beza ad Capitis XXIV. Actorum comma qvintum ex Euſtathij Theſſalonicenſium Epiſcopi doctiſsimis in Homerum annotationibus oſtendit. Aut fortè ideò Ebraiſmum appellabimus illud dicendi genus, qvia illi genti multò eſt familiariſſimum? Atqvi hoc pacto etiam Latinus ſermo Ebraiſmorum erit obnoxius, & omne præterea genus Linguarum, qvia omnes aliqvid ejus alunt & complectuntur in ſe, qvod Ebræo idiomati aliqvâ ratione conveniat. Verùm de his inter conflictum dabitur fortè agendi anſa. Nunc illud ſaltem eſt improbatione dignũ in Beza, qvòd tàm ſecurè negligentem in eruenda Græcâ

cà indole se gessit. Ita etenim ordinanda verba sunt, & construenda inde usq; â commate decimo nono: ὅθεν, βασιλεῦ Ἀγρίππα, οὐκ ἐγενόμην ἀπειθής, ἀλλ' ἀπαγγέλλων μετανοεῖν τοῖς ἐν Δαμάσκῳ & qvæ deinceps leguntur. *Unde, Rex Agryppa, non eram inobediens cœlesti visioni, sed annuncians* (sc. eram, hoc est, *annunciabam*, prout apud Ciceronem alibi qvoqve, *est dicens* pro *dicit* positum legimus) *ijs, qvi sunt Damasci primùm, & Hyerosolymis.* Itaqve τὸ ἐγενόμην non tantùm ad ἀπειθὴς referri debet: sed etiam ad ἀπαγγέλλων est ἀπὸ κοινοῦ repetendum. Cæterùm qvi arguere Ebraismi ac peregrinitatis hoc genus voluerit dicendi, næ eum tota Græcia fugiat necesse est. Sic enim Thucydides, ὡς ἐγένοντο πλέοντες κατὰ τὴν Λακωνικήν, pro, ὡς ἔπλεον. Sic Isocrates, γίνου τοῖς ἄλλοις μηδ' ἐν ἑτέροις ὢν κατάδηλος, id est ἴσθι: *in neutris* (nec in gaudio nec in dolore) *alijs sis nimis apertus.* Sic Demosthenes, τοὺς ὁτιοῦν ἂν ἐκείνῳ ποιήσοντας ἀνῃρηκότες ἐκ τῆς πόλεως ἔσεσθε, ἂν τούτους ἀνέλητε: pro ἀναιρήσετε. *Eos qvi qvidvis Philippi causâ facturi sunt, sustuleritis, si hos* (Æschinem nempè & ejus complices) sustuleritis. Sic ipse etiam Æschines, πρεσβείας ἦτε πεπομφότες pro πεπόμφατε. Sic Sophocles, εἰρηκὼς κυρεῖς pro εἴρηκας. Et tùm sæpissimè alibi, tùm iterum in de Corona Demosthenes, ἐὰν ἠδικηκὼς τυγχάνει, pro, ἐὰν ἠδικήκῃ. Ex qvibus omnibus apparet, qvantus participiorum cum Verbis Substantivis, qvæ vocant, sit usus, dum pro ipsis verbis ponuntur. Circumspectius ergò agendum Bezæ erat, ne in Orientem confugeret antè, quàm Occidente excluderetur.

## IV.

Nihil pluris valet, qvod ad Romanorum III. Caput, comma ipsum 24. notavit. Δικαιούμενοι, inquit, *justifican-*

*cantur autem: Vulgata, justificati omissâ Conjunctione, quæ prorsus videtur necessaria, sicut in Græcis Scholijs legitur hic locus. Deinde δικαιούμενοι pro δικαιωθῆναι positum est Hebræorum more.* Sed nec aliter hunc locum Erasmus expressit, qui ut redderet sensum dilucidiorem, addidisse se de suo conjunctiunculam *autem* scribit In qvo hactenus qvidem utriqve assentimus, qvod sensus hoc pacto efficiatur clarus: cæterùm, qvod ad structuram, nec Ebræi aliqvid subest, & qvicqvid est, meré Græcum est. Ita sonant verba: πάντες γὰρ ἥμαρτον καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι & qvæ sequuntur. Ubi planè ex Græcorum perpetuâ consvetudine ac indole ὑστεροῦνται δικαιούμενοι positum pro ὑστεροῦνται καὶ δικαιοῦνται. Deus autem bone, qvid freqventius, qvid usitatius, qvid magis proprium Græco sermoni, quàm duo Verba cùm conjungenda veniunt, alterum uti in Participium mutetur? Proinde, si rotundè reddenda verba Græca sint, ita fiet: *omnes peccaverunt, omnes destituuntur gloriâ Dei, ut qvi justificantur gratis illius gratiâ.* Vel, si in ordinem redigas verba ad eum, qvem dixi, modum, brevius: *omnes destituuntur gloriâ Dei, & justificantur gratis*, sive, *justificantur autem gratis.* Qvæ ante expositis conveniunt. Qvid ergò hîc alieni & externi?

V.

In secunda ad Corinthios X. Capite leguntur commate qvinto ista: λογισμοὺς καθαιροῦντες, & paullò post, καὶ αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ. Qvæ verba sic extulit Beza: *ratiocinationes evertendo & in captivitatem redigendo omnem cogitationem ad obedientum Christo.* Mox in annotationibus hærens ac dubius, suum an Erasmi seqvatur interpretamentum, eò dilabitur tandem, ut, qvodcunqve arripiat, Ebraismus constitua-

ſtituatur in præſenti loco. Nam ſive ex ſuâ mente dicat, καθαιρȣ̃ντες poſitum in conſeqventia eſſe pro καθαιρȣ́ντων, genus ipſi eſt dicendi Ebræum, prout plenius oſtendit ad comma 13. & 11. capitis præcedentis noni: ſive Erasmum tueatur, Græcum certè haud facit τὸ καθαιρȣ̃ντες. Ita enim inqvit, *Erasmus* vertit, *qvibus conſilia demolimur: ita ut ad ὅπλα referatur, ſubaudito relativo* אשר *Hebræorum more, & Participio poſito loco Verbi.* Sed per veniam Bezæ, iterum bonus hîc dormitat Homerus. Præterqvam enim, qvod ad comma 13. capitis noni ſponte ſuâ fatetur, ita etiam Atticos ſolere loqvi, id qvod Corinthus annotârit, cujus ex Thucydide prolatum adducit locum illum, Οἱ δὲ Ἀθηναῖοι ȣ̓ πολλῷ ὕστερον καταπλεύσαντες, ὡς ἑώρων, ἀπήγγειλαν οἱ στρατηγοί; pro, τῶν Ἀθηναίων καταπλευσάντων: falſus de cætero eſt, qvocunqve ſe vertat Beza. Nam nec ab Ebræis petita talia ſunt, nec ſtructura vacillat vel qvicqvam. Qvod manifeſtum fiet, initiò ſi rectè diſtinguatur comma tertium, deinde, ſi parentheſeos nota conſtituatur poſt στρατευόμεθα ante hæc verba, τὰ γὰρ ὅπλα, & ipſa parentheſis claudatur ad vocem ὀχυρωμάτων commate qvarto. Jam omnia plana hoc modo fient, & ſic habebunt: ἐν σαρκὶ γὰρ περιπατȣ́ντες, ȣ̓ κατὰ σάρκα, στρατευόμεθα, λογισμȣ̀ς καθαιρȣ̃ντες καὶ αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τȣ̃ Χριστȣ̃: hoc eſt, *nam in carne qvidem, non ſecundum carnem ambulantes, belligeramus, rationes evertentes & captivam tradentes omnem cogitationem ad obediendum Chriſto.* Ubi στρατευόμεθα καθαιρȣ̃ντες idem eſt, qvod στρατευόμεθα καὶ καθαιρȣ̃μεν, de quo genere dicendi in præcedentibus. Qvibus, qvid expeditius eſſe poſſit, non video. Neq; verò refert, olim pro καθαιρȣ̃ντες etiam καθαίροντες lectum fuiſſe, id qvod ad canonem 22. Concilij 7. Oecumenici Interpre-

terpretes Zonaras & Balsamo notarunt. Utrinqve enim Participii ratio manet. Post ἐκ σάρκα autem distinctiunculam qvod diximus, constituendam & ad proximè præcedēs περιπατοῦντες hæc verba referēda esse, secundum hujus capitis comma extremum omninò postulare videtur, utut nihil inconvenientis altera lectio alat. Qvæ qvidem inspicienti accuratius & volventi erunt manifesta.

## VI.

In eâdem illâ, qvam Apostolus ad Corinthios dedit, secundâ Epistolâ capite VII. commate 5. extant hæc verba: καὶ γὰρ ἐλθόντων ἡμῶν εἰς Μακεδονίαν, οὐδεμίαν ἔσχηκεν ἄνεσιν ἡ σὰρξ ἡμῶν, ἀλλ' ἐν παντὶ θλιβόμενοι: *etenim cùm venissemus in Macedoniam, nullam habuit relaxationem caro nostra, sed in omnibus afflicti* sc. fuimus. Ad qvæ Beza: θλιβόμενοι, *subintellige* γεγόναμεν *ex Hebræorum consvetudine, apud qvos ita sæpè subauditur Substantivum verbum.* Cui geminum, qvod capite V. ejusdem Epistolæ commate 12. habetur: οὐ γὰρ πάλιν ἑαυτοὺς συνιστάνομεν ὑμῖν, ἀλλὰ ἀφορμὴν διδόντες ὑμῖν καυχήματος ὑπὲρ ἡμῶν: *non enim iterum nos ipsos commendamus vobis, sed occasionem vobis præbentes* (sc. sumus, id est præbemus) gloriandi de nobis. Ubi Beza: διδόντες, *subintellige* ἐσμέν, *propræsenti* δίδομεν, *Hebræorum more.* Idem utroq; loco insinuat Interpres. Nimirum Participium pro verbo positum esse, omisso Substantivo verbo, ut Grammatici loqvuntur. Acid qvidem ex Ebræorum consvetudine. Sed cur iterum non Græcorum qvoq; Beza? Memineris enim, qvæ ad supra citatum caput vicesimum & qvartum Apostolicorum actorum, comma ipsum qvintum consignasti, talia etiam apud Homerum & Pnidarum & Sophoclem (addo & Thucydi-

dem) legi, qvod ex Eustathio didiceras. Ita enim eruditissimus Episcopus ad versum 307. Iliados θ. ait: Τὸ δε, ἡ ἐν κήπῳ καρπῷ βριθομένη, ὀρθῶς μὲν εἰπεῖν, λείπεται τοῦ ἔστιν. Ἵνα λέγῃ ὅτι ἥ τις τῷ καρπῷ βαρουμένη ἐστί. Τῶν τινες δὲ παλαιῶν ἠθέλησαν τὸ βριθομένη νοῆσαι ἀντὶ τοῦ βρίθεται, εἰπόντες, εἰλῆφθαι μεταχὴν ἀντὶ ῥήματος. Καὶ σημειωσάμενοι τὴν λέξιν, ὡς καινοσχήμονα. Ἔχει δὲ ὁμοιότητα πρὸς τοῦτο καὶ τὸ, μῦθος ὃς μὲν νῦν εἰρημένος ἔστω, ἤγουν, ὃς νῦν εἴρηται. Ὅμοιον καὶ παρὰ τῷ Ὁμηρικῷ ζηλωτῇ Σοφοκλεῖ τὸ, πρῶτά σε κεκλόμενος· ἢ γὰρ καὶ ἐκεῖ λείπει τὸ εἰμί, ἢ τὸ κεκλόμενος ἀντὶ τοῦ κέκλομαι εἴληπται. Χρῆσις δὲ ὁμοία σεσημείωται που παρὰ τῷ Πινδάρῳ ἐν Ὀλυμπιονίκαις. Qvod si hæc ita sunt, prout sunt, qvæ vesania dicam an oscitatio, Ebraismos appellare illos loqvendi modos, qvi in ipsa Græcia nati? Nam qvod convenientia qvidem detur in Lingvis, certum est. Inde autem velle omnia ad Ebræi sermonis canonem revocare, ecqvis paullò severius & acrius de re cogitans probaverit? Aut si iterum eò recurremus, qvòd freqventiora talia in Ebrææ gentis ore ac usu deprehendantur, ac Apostolorum temporibus hoc dicendi prævaluerit genus; qvis proprietatem tamen suam Græco sermoni adimet, qvam jam antè etiam in se habuit semper? Ac itaqve res certè tanto minimè est interprete digna, qvando ad orientis regulas talia omnia exigit. Longè prudentior Erasmus, qvi non Ebræis tantùm, sed & Græcis freqventer familiare esse, ut subaudiatur verbum substantivum, ad caput VII. citatum scribit. Idem, qvi ad caput V. observavit, freqventius id fieri apud Græcos, qvàm apud Latinos. Sed videamns porrò τὸν παρορῶντα Bezam.

## VII.

Similia facit in commate 13. capitis XI. posterioris

ejus

ejus Epistolæ ad Corinthios perscriptæ. Comma ipsum sic habet: οἱ γὰρ τοιοῦτοι ψευδαπόστολοι ἐργάται δόλιοι, μετασχηματιζόμενοι εἰς Ἀποστόλους Χριστοῦ: *tales enim Pseudapostoli operarij dolosi* (sunt,) *transfigurantes se in Apostolos Christi.* De qvo locoad commat. capitis secundi primæ ad Thessalonicenses ait, subaudiendum substantivum verbum esse Hebræorum more. Idem vult scilicet, qvod in superioribus. Ad participium μετασχηματιζόμενοι suppleri τὸ εἶναι debere. Atqvi egregiè hallucinatur Interpres. Neq; enim ad μετασχηματιζόμενοι statim ponendum τὸ εἶναι est; sed ad δόλιοι, hoc modo: οἱ γὰρ τοιοῦτοι ψευδαπόστολοι ἐργάται δόλιοί εἰσιν, ad qvæ deinceps Participium μετασχηματιζόμενοι Græcis consveto more infertur. Ac venjebat in mentem initio; sphalma fortè subesse typographicum in exprimendo loco & excusationem proinde mereri Bezam: sed cùm idem super eâ ipsâ re legerem ab eodem traditum ad comma 5. capitis VII. secundæ â Corinthios, manendum mihi in sententia fuit. Qvô factum, ut tantò magis mirer, in re tàm manifesta & tàm usitatâ Græcis ita enormiter exerrare potuisse tantum Virum sed qvid non facit---*novandi insana libido.*

## VIII.

Cùm semel injecerim mentionem loci, qvi I. Thessal. II. 11. legitur ille, καθάπερ οἴδατε, ὡς ἕνα ἕκαστον ὑμῶν, ὡς πατὴρ τέκνα ἑαυτοῦ, παρακαλοῦντες ὑμᾶς καὶ παραμυθούμενοι, ordo postulat, ut eum nunc qvoq; evolvamus. Sic autem Beza reddidit: *sicut nostis, qvomodo unumqvemq; vestrûm, tanqvam pater liberos suos, hortabamur & consolabamur.* Cujus versionis suæ paullò post prolixam reddit

rationem in annotatis. Nam postqvam multis improbassẽt bonam atq; germanam Erasmi interpretationem; ipse tandem, qvæ jam pridem antè observaverat in Ebræorum scitis, expromit longo ordine, & peregrinâ quâdam ratione decernit, qvæ domestica poterat ac debebat omninò. *Est*, inqvit, *post participium παρακαλοῦντες subaudiendum substantivum verbum ex Hebræorum more, qvo circum scribere solent præteritum imperfectum vel præsens, ut sæpè jam annotavimus. Et pronomen ὑμᾶς redundat ex Hebræorum idiotismo: qvi qvamvis expresso antecedente, solent tamen affixa, qvæ vocant, verbis ac nominibus subijcere, ut observavimus multis jam locis, veluti Rom. 16, 27. & 2. Cor. 4. 4. & Ephes. 3. 21. qvod non animadvertens Vetus interpres copulam ante μαρτυρόμενοι sustulit contra Græcorum codicum fidem, coactus tamen illud accipere pro ἐμαρτυρόμεθα.* Verùm, nec circumscriptione illâ imperfecti præteriti, nec pleonasmo eo, qvem neqvicqvam hic fingit recens interpres, opus fuisse, adeoqve nec Ebræi aliqvid latere idiomatis in præsenti loco, facilè judicaverit, qvi cum doctissimis æqvè ac diligentissimis Erasmis, Roterodamensi altero, altero Schmidio, hujus Academiæ qvondam Professore ac Seniore optimè merito, Græcis usitatissimâ familiarissimâqve Ellipseos figurâ suppleverit ἠγαπήσαμεν, *dilexerimus*, aut simile aliqvod verbum, qvod legenti unicuiqve sacrum eum contextum insinuatur ac incidet citius, qvàm monitore sit opus. Ac itaqve sic constituẽtur commata ipsa illa 11. & 12. *qvemadmodum nostis, ut unumqvemqꝫ vestrum, tanqvam pater liberos suos (ἠγαπήσαμεν) dilexerimus, hortantes vos & consolantes.* Qvò pacto rectè ac ex more Græcis proprio cohærent τὸ ἠγαπήσαμεν παρακαλοῦντες,

id

id est, *dilexerimus & hortati fuerimus*, & qvæ seqvuntur.

IX.

Porrò, qvæ ad comma qvintum capitis XXIV. Actorum annotavit Beza, dum εὑρόντες, pro εὑρόντες ἐσμέν, vel εὕρεμεν, positum ait per Benoni Hæbræum, cadunt per ea, qvæ mox adjecit Interpres ex Eustathio, suprà etiam à nobis citata.

X.

Cæterùm, qvod in loco ex Epistolæ ad Romanos nono capite, commate vicesimo & octavo deprompto adversus Erasmum inter alia contendit Beza, verba ista, λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ, ita reddenda fuisse, ut saltem participia illa, ut verba, ex Hebræorum idiotismo acciperentur, ita comparatum est, ut confutatione non indigeat. Cùm enim ex LXX. Interpretum versione transcripta verba illa sint, qvippè qvæ Esaiæ X. capite commate ipso 22. leguntur; non minus censoriæ virgulæ erunt immunia opinor, qvàm qvæ ab alijs auctoribus inveniuntur citata olim & in novos libros translata.

XI.

Idem judicium fuerit de ijs, qvæ in priore ad Corinthios capite tertio, commate decimo nono habentur, & ita sonant: ὁ δρασσόμενος τοὺς σοφοὺς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν. Ubi iterum participium Ebræorum more positum pro verbo ait Beza. Sed qvando hæc desumpta ex Jobi qvinto capite sunt, nō attinet aut taxare ea magnoperè, aut medicinā parare generi dicendi. Qvod qvidem LXX. Interpretum ver-

 sioni

sioni, qvantum ad structuram, qvæ in participio consistit, respondet, licet verba paullò aliter apud Interpretes istos, prout hodiè illorum circumfertur interpretatio, sonent. Qvæ ita habent, ὁ καταλαμβάνων σοφὸς ἐν τῇ φρονήσει. Ac itaq; frustrà Beza est, dum talia notat.

## XII.

Ad extremum extat locus in secunda ad Corinthios capite qvinto, commate sexto. Verba ista sunt: θαῤῥοῦντες οὖν πάντοτε, καὶ εἰδότες ὅτι ἐνδημοῦντες ἐν τῷ σώματι, ἐκδημοῦμεν ἀπὸ τοῦ Κυρίου: hoc est, *confidentes igitur semper, & scientes dum habitamus in corpore, nos peregrè abesse à Domino.* Lis est de voce θαῤῥοῦντες, itemq; alterâ εἰδότες, an per verba ex Ebræorum more reddenda sint, *confidimus, scimus?* Beza, dum Erasmo maculam ex versione inurere voluit, parum observans fuit, qvæ doctissimus vir in annotationibus habet. Ubi mavult τὸ θαῤῥοῦντες ad θαῤῥοῦμεν commate octavo cum insertâ sive παρενθήκῃ referri. In quo verus quidem est, modò eandem παρένθηκην non in θαῤῥοῦμεν, sed in τῷ Φιλοτιμούμεθα, quod commate nono demum extat, finiisset. Si enim rectè inspicimus sacrum locum, videtur omninò parenthesis constituenda ante comma septimũ, & claudenda post octavum. Qvo pacto salva erit structura universa ad istum modum, θαῤῥοῦντες Φιλοτιμούμεθα. Quod cùm Bezæ etiam placeat tandem ac probetur, non est, quod, quantum ad hunc qvidem locum, in ipso improbemus.

ΤΩΙ ΘΕΩΙ ΔΟΞΑ.

*Ad Eximium*

*Præstantissimumque*

Dn. GEORGIUM SYLM, S. S.

Theol. Cult. strenuum,

*Amicum & Consalinum dilectissimum*

De

Fontium in N. T. puritate disputantem.

*QVando sitim properat suavi sedare Falerno*
*Hic nunc ad cellas, alter ad Idalium. (nos*
*Te, Perchare, juvat dulces lustrasse Sionis*
*Fontes, atq; levat flumen adire sacrum.*
*Hoc clara ostendit TIBI & Ostermannia dextra,*
*Te minimè fallet dextera fida Viri.*
*Perge sequi dextram hanc porrò conamine pulchro!*
*Hæc TIBI monstrabit, crede, salutis aquas.*
*Det DEUS ipse favens, nunquam TIBI flumina viva*
*Desint, TE potet gratia dia benè!*

Singularis amoris test. e.
gratulab. deprop.

*M. Joh. Ern. Gerhardus Jenensis.*

WJe man das für allen preiset/
Was sich wircklich uns erweiset;
Wie man nichts vom Baume hält/
Wovon keinem Frucht zufält:
Und man lachet solcher Reben
Die uns keinen Wein nie geben:

So ist auch der zu verlachen/
Der sich niemals dran wil machen
Zu erweisen seinen Fleiß/
Zu bezeigen seinen Schweiß/
Der jhm offters außgedrungen/
Wenn er hat nach Kunst gerungen.

Dieses dein recht kluges sinnen/
Hat dich bracht an diß begunden/
Daß du/ Bruder/ jetzund stehst
Und getrost entgegen gehst
Denen/ die da wollen wissen/
Ob du dich stets recht beflissen.

Fahre fohrt in solchen dingen/
Es wird dihr gewis gelingen/
Bis du da gelanget hin
Wornach strebt dein kluger Sin:
Nebenst andern seinen Söhnen
Wird auch dich Apollo krönen.

DJETRJCH VOSCH von Hamb.

01 A. 6640

ULB Halle
003 108 309
3

Sb.

VD17

ΣΤΝ ΘΕΩι.

# POSITIONES PHILOLOGICÆ

# Græcum Novi Testamenti contextum concernentes.

*Publicæ disqvisitioni exhibitæ*

à

M. JOHANNE ERICO OSTERMANNO GRÆCAR. LITERAR. PROF. PUBL.

*RESPONDENTE*

GEORGIO SYLM

Hamburgensi.

*DISPUTATIO TERTIA.*

Habebitur

*Ad d.* 6. Februarÿ.

In Auditorio majori, horis matutinis.

---

*WITTENBERGÆ*

Excudebat MICHAEL Wendt.

ANNO cIↃ IↃ CXLIX.